

H O L S A T I A.

tur, totaque circumferentia spatium quindecim milliarium excedat. Soli tanta est fertilitas, ut Bataviam nostram non modo exæquet, sed & supereret. Boves enim & vaccas alit multo majores, quam ullæ Europæi orbis partes, quæ lactis quoque ingentem vim sufficiunt. Vnde fit, ut inter Calendas Maji & finem Sept. tanta caſeorum copia navibus exportetur, ut vicies ter centena millia librarum excedat. Pagos multos densosque continent. Oppidum habet *Tonningam* splendida arce, portus commoditate, negotiorum frequentia celebre & illustre.

*Frederick
stad.*

Aliquot retro annis, ad Confluentes Eydoram & Trenam, urbem ædificare cœpit illustrissimus Dux Fredericus Holsatiæ & Slevici Dux, in quam patria sua religionis causa extorres aliquot Federati Belgii incolæ se receperunt, domosque ad Hollandicarum formam exstruxere, nahti sub optimo prudentissimoque Principe publicam exercendæ religionis suæ libertatem. Quæ enim pressis ab Albano Duce reformatis otia exulibus fecere urbes Vesalia, Embda, aliæque, eadem ejectis patrio solo aut durius habitis Remonstrantibus fecit moderatissimus & pacis studioſissimus Dux, talem se & re & nomine professus. Vnde & Fredericopolin aut Eirenopolin, Germanice *Frederickstadt*, appellari voluit.

*Status &
gubernatio.*

Rex.

Prelati.

Nobiles.

cupiis, atque pictionibus libere possident. Et si vero nonnulla illorum prædia, utriusque generis feuda censeantur; maxima tamen ex parte allodialia & hæreditaria sunt, & privilegiis atq; concessionibus Holsatorum cautum est, ne exactiōnibus aut novis vectigalibus à Principibus graventur. Quæ principes, priusquam à subditis fidelitatis juramentum præstatur, & ipsi ad gubernationem perveniunt, juramento confirmare tenentur. Liberam enim horum Ducatum status, ex Regum Principum filiis, quem ve- lint, eligendi habent potestatem. Quod privilegium speciali quondam Christiani I beneficio promulgatum ipsis, cum in Ducem assumptus in posterum confirmaretur: neque ulla Principes, absque consilio & consensu Ordinum, bella suscipiunt. Nobilium lites judicio quodam (quod bis quotannis peragi debet) à Senatu Ducatum dijudicantur, præsidentibus plerumque per vi-ces Principibus, ex privilegio Provincialibus in- dulto; à quibus tamen, præstito malitiæ jura- mento, ad Cameram Imperialem caussæ devolvuntur. Sunt autem nobilium tam Holsatiæ quam Slevicensis Ducatus familie 51.

Inferior regionum Holsaticarum status duos *Inferior
Status.*

potissimum ordines complectitur, civium vide- licet & rusticorum: quorum tractationes hac in classe suscepimus.

Omnis fere in his Ducatibus civitates, ex singulari Principum suorum gratia, certis quibusdam privilegiis donatae sunt, jureque vel Ro- mano vel Lubecensi utuntur. Civibus à sententiis, quas tulit, ad quatuor civitates, Kilonium, Rendsburgum, Itzeham, Oldesloamque, ju- dicio peculiari appellationis exercendo destina- tas, provocare licet. De quibus vero ipsa deci- dere nequeunt, certis conditionibus ad Princi- pes & Senatores Holsatiæ, nonnunquam etiam ad Cameram Imperialem appellatio devolvitur. Hujus ordinis civitates atque oppida in his 31 numerantur.

Secundus inferioris Status ordo duo rusticorum genera complectitur: quorum alii hæredi- taria atque libera, alii vero conductitia & angaria, vel quibusunque aliis servitiis obnoxia bona possident. Illi præterea aut scripto jure de controversiis decidunt: aut propriis suis Cau- fidicis, sub dio, de causis illorum, in præsentia Præfecti, duorumque Assessorum, agitur. Cum- que in medium prodierunt litigantes, diligenter à parte utraque exploratis rerum momentis, rusticorum cœtus ad deliberandum modumque sententia statuendum exire jubetur. Quibus pro agresti captu consideratis, ad confessum redeunt, & quicquid vel exemplis, vel crassis naturæ illorum rationibus justum ipsis esse vide- tur, per constitutum quendam Praeconem litigatoriis in medium pronunciant. Qui in utro- que genere judicato acquiescere nolunt, illis de- bito modo ad Senatores Principum, vel com- mune forum Holsaticum, nonnunquam etiam ad Cameram Imperialem, pro rerum, de quibus li- tigatur, dignitate, provocare liberum est.

Status horum Ducatum dividitur in superio- rem & inferiorem. Superior rursum in tres ordi- nes distribuitur; quorum primus Reges & Prin- cipes; secundus Prælatos: tertius vero Nobilium familiæ continet. Generalis autem gubernatio Regi Daniæ Christiano I V, & Ioanni Adolfo Episcopo Lubecensi & Holsatiæ Duci incum- bit, alternisque ab uno in alterum vicibus trans- fertur: quæ, cum ad regem devolvitur, Regiæ ipsius Majestatis nomine, per regios Holsatiæ producem & cæteros consiliarios administratur. In arduis tamen negotiis nihil nisi præcedente omnium in Holsatia ordinum consensu decerni- tur; inter quos primum locum obtinet Episco- pus Lubecensis. Quando vero communis est deliberatio cum Slevicensis Ducatus ordinibus, Episcopus Slevicensis in his principem tenet lo- cum.

Secundus superioris status ordo duos continet Episcopatus; Lubencensem & Slevensem: Hamburgensis enim Bremensi subjectus est. Ca- pitula habent quinque: Lubencense, Hamburgense, Slevicense, Haderflebiense, & Otinense. Abbatia in hoc ordine sunt septem: Reinfelden- sis, Bordesholmensis, Segebergensis, Arnsbo- censis, Cismariensis, Lumensis, & Ruensis. Mo- nafteria item continet x v, inter quæ quinque, Itzehoense, Pretzense, Vterfense, Slevicense, & Reinbeccense, nostro adhuc tempore Nympha- rum Vestaliæ choro & magno reddituum pro- ventu celebres sunt: cæterorum fere usus scho- lis & xenodochiis impensus est.

Nobiles (qui tertium superioris status ordinem efficiunt) arces & prædia sua in his Ducatibus pleno jure ac dominio, quemadmodum Comi- tes in reliqua Germania, cum venationibus, au-